

TABVLA RECITATIONVM

IN

ACADEMIA LVDOVICIANA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A DIE XIII. OCTOBR.

CIDIDCCLXXXIII.

IN CHOANDARVM.

RECTOR

ACADEMIAE LVDOVICIANAE

D. CHRISTIANVS HENRICVS

SCHMID

CVM SENATV.

In Satira illa praeceptis egregiis referta, in qua *Horatius* (Serm. I. 3). indulgendum esse leuioribus amicorum peccatis vrget, ignoscere praesertim iubet iis, quae contra decorum committuntur, quaeque negligentiae magis, leuitatis, squaloris, atque rusticitatis, quam malitiae, documenta censenda sunt. Quae quidem v. 90. 19. nis verbis exprimitur:

Comminxit lectum potus, mensae catillum
Euandri manibus tritum deiecit, ob hanc rem,
Aut positum ante me quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi?

Quomodo lectus comminctus aut pullus praereptus offendere queat, satis apparet, neque vlla indiget illustratione. Catillum autem deiectum quod attinet, quaeri potest, num ille alicuius, aut nullius pretii fuisse videatur. Quodsi vel ob antiquitatem, vel ob artem, qua prae caeteris eminuerit, aliquantum pretii catillo tribuendum fuisset, excusare quodammodo possemus iram eius, qui vasis talis, etsi ab amico fracti, iacturam haud aequo animo tulerit. Quodsi autem vasculum vilissimum bilem illius mouerit (quae quidem vel leuissimis rebus mouetur in hominibus iracundis & cerebrosis) summa dignus fuisset vituperatione, quippe qui amicitiam non pluris aestimasset, quam res tam exigui pretii. Quare assentire nequitiam possumus *Dacierio*, cui pretiosissimus catillus ille ideo videtur, quia iam in manibus prisci illius *Euandri* fuerit, qui ex Arcadia in Latiam olim aduenerat. (*Horace* veut par là recommander l'antiquité & la valeur du plat). Contra quam quidem opinionem *Sanadonius* vere monuit, in mensa *Euandri* vasa magnifica minime esse potuisse, de quo scilicet scriptor antiquus haec obseruauit: Res inopes *Euander* habebat. (On ne pouvoit plazer plus mal de la vaisselle de prix, que sur la table du roi *Euandre*, qui avoit pour palais une chaumière, pour trone un siege de bois ordinaire, & dont les lits estoient de feuilles, ou de gazon, & les tapis de peaux de betes). Itaque nos quidem *Euandrum* a poeta memoratum esse censemus, quia patellam innuere voluit vetustate ita confectam, vt facillime frangi potuerit, atque tam rudem & informem, vt interitus eius minime lugendus sit. Quamuis *Sanadonius* exaggerationem esse putet, si quis catillum ad *Euandri* vsque aetatem referre velit (ç auroit été une chose bien rare, qu' un plat, qui se seroit conservé entier pendant

dant tant de siècles) poetas tamen hac loquendi ratione vti solere scimus. Sic in *Horatii* ipsius Od. II. 3. v. 20. prisco natus ab Inacho pro quoque dicitur, qui origine antiqua superbit, etsi *Horatii* aetate vix vlla gens originem suam ab Inacho deriuare potuerit. Sic cum matre Euandri loqui omnes dicuntur, qui verba antiqua & obsoleta crepant. *Dacierius* catillum Euandri manibus tritum comparare ausus est cum aere illo, quo *Flaccus* (Serm. II. 3. v. 21.) Sisyphum pedes lauisse dixit, sed haud apte satis, vti nobis quidem videtur, quum aes Sisyphi nil aliud sit, quam aes Corinthium, res Euandro prorsus ignota. Atque non defuerunt, qui catillum illum ab insigni aliquo artifice originem duxisse opinati sint. Sic Scholiasta vetus contendit, fabricatum illum esse ab Euandro quodam caelatore & plaste statuarum, quem M. Antonius ab Athenis Alexandriam transtulerit, quique inde interceptus Romam perductus multa opera mirabilia perfecit. Addunt alii, Aulanium Euandrum fuisse, cuius mentionem *Plinius* Hist. Nat. XXXVI. 5. fecerit. Addit V. C. *Enger* in observationibus in *Horatii* poemata p. 46. *Winkelmannum* in Historia Artis T. II. p. 771. huius artificis meminisse. Verissime autem *Dacierius* annotauit, rem *tritum* pro re arte facta a Latinis, vix vnquam dictam esse. *Tritum* idem significare, ac tornatum & caelatum plures quidem, Scholiasta v. c. *Baxterus*, *Sanadonius*, *Gessnerus* opinantur; loca autem, quae afferunt, pro opinione eorum neutquam allegari posse videntur. In loco *Virgilio* Georg. II. 444. Radios *triuere* rotis, vox *rotis* addita, in loco *Plinii*: Aliud torno *teritur* vocabulum *torno* subiunctum sensum apertum reddit. Absolute autem & nude *terere* de artificibus dici dubitamus. (Le mot *tritum* ne peut etre dit de l'ouvrier qui avoit fait le bassin, ou du moins c'est un terme fort extraordinaire & fort eloigné de l'usage commun, mais il se dit fort naturellement de celui qui s'en seruoit, verba sunt *Dacierii*). Quod *Bentleius* etiam sensit, quum pro *tritum* *torrum* legere iuberet. Quibus perlectis, *Commilitones aestumatissimi*, ad nomina praeceptorum Vestrorum, indicemque praelectionum, quibus commodis Vestris inseruire cupiunt, pergite, lectiones, quae Vobis arident, eligite, easque omni, qua par est, diligentia & attentione audite.

LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. GEORG. ROSENMÜLLER *privatim* hor. X - XI. Evangelium Ioannis & Acta Apostolorum interpretabitur; hor. II - III. historiam christianam a Carolo M. ad hanc aetatem ex Cel. *Schroechii* Compendio enarrabit; *publice* in arte catechetica & theoretica & practica tradenda strenue perget.

D. IOHANNES GEORGIUS BECHTOLD Hora VIII - VIII. & II - III. duodecim per hebdomadem horis *theologiam dogmaticam* ea ratione tradet, vt vna cum capitibus religionis theoreticis potiores circa haec capita controversias, antiquiores aequae, ac recentiores, breviter sit expositurus, large vbivis interspersa cum litteraturae theologiae in univrsam, tum dogmatum praecipue historia, qua in rite definiendis fidei doctrinis, probeque discernendis creditu necessariis, & vtilibus a minus necessariis & inutilibus carere vix poterit theologus futurus. Qua in re ducem sibi denuo electurus est Ven. DOEDERLEIN; non quidem in systemate maiore, quod ob pretii magnitudinem hactenus non, nisi a paucioribus, emtum fuisse animadvertit, sed in *summa institutionis theologi Christiani* non magno nunc ab omnibus parabili. Hora VIII - X. Ven. LESSII *theologiam moralem* praeleget. Hora XI - XII. *epistolam Pauli ad Romanos* ex recensione Ven. KOPPE interpretabitur; ad collegia examinatória, & disputatoria paratus.

D. LVDOV. BENI. OUVRIER Hor. IX - X. tradet *theologiam dogmaticam* ad compendium Seilerianum, alteram horam coram indicabit. Hor. VIII - IX. *Theologiam moralem* praecunte D. Lessio; Hor. XI - XII. Historiam ecclesiasticam V. T. explicabit ad ductum Spanhemii. Diebus Mercurii & Saturni exercitationes homileticas theoretico-practicas instituet.

IO. CHRISTOPH. FRIDR. SCHVLZ hor. XI - XII. *Theologiam dogmaticam* ad finem compendii *Heilmanniani* docebit *privatim*. *Antiquitatem vero Christianam*, cui horam II. dierum lun. & iouis dicabit, in scholis publicis illustrabit. De *privatis* simis lectionibus cum iis aget, quorum interest.

LECTIONES IVRIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Pandectas ex *Hellfeldio*, Ius canonicum e *Boehmero*, Ius criminale e compendio suo tradet. Disputatorium quoque & Examinatorium offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS Hor. VIII-IX. *Ius publicum* I. R. G. PÜTTERO, hor. IX - X. *Ius feudale* BOEHMERO duce docebit. Hor. X - XI. *Historiam Imperii* R. G. SELCHOVII compendio vsurus narrabit; & Hor. II-III. *Ius Germanicum priuatum eodem* praeunte tradet. Collegium quoque *elaboratorio-practicum* hor. XI-XII. volentibus aperiet. *Publice* hor. commoda habebit praelectiones encyclopaedicas, siue introductorias in vniuersum studium iuris, aut *Ius Cambiale*, duce libro suo *Anfangsgründe des Wechselrechts*, additis iuris mercatorum & maritimi principii, docebit.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora I-II. *historiam imperii* enarrabit, hora III - IV. *Ius publicum* S. R. I. proponet, vsurus compendiis PÜTTERI. Hora IV - V. *Ius Germanicum priuatum* e SELCHOVIO tradet. Hor. V - VI. *collegium processuale practicum* aperiet ad filium CARRACHII. Alia hora commoda bis de hebdomade *Ius priuatum principum* docebit.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER. *Publice* singulis diebus mercurii hora V - VI. *ad lib. 49. D. de appellationibus* commentabitur. Eadem hora singulis diebus veneris collegium disputatorium in vsum selectissimorum auditorum *gratis* aperiet. *Priuatum* hora VIII-IX. praelectiones ad *Heineccii Elementa iuris ciuilibus secundum ordinem Institutionum* instituet. Hora X - XI. *historiam iuris vniuersi per Germaniam obtinentis* duce SELCHOVIO docebit.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. hora VIII. antemerid. Anthropologiam suam anatomico - physicam, recens editam, proponet. Hor. X. b. m. Io. Zach. Platneri institutiones Chirurgiae rationalis, in Dn. Medicinae & Chirurgiae Studioforum commodum, publice explicabit. Hor. XI. in A. C. Celsi libros de vtraque Medicina commentabitur. Hora pomerid. II. dogmata pathologico - therapeutica, ad ductum b. m. Herm. Boërhauii, in aphorismis de cognoscendis & curandis morbis, tradet. Nec illis deerit, quos, aliam quamcunque Medicinae partem addiscere, iuuabit.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ, Prof. Med. Ord. H VIII-IX. Osteologiam & Myologiam, Plenckio duce, IX-X. Physiologiam, praeunte Hallero explicabit. Anatomiam practicam, horis consuetis tradet. Alia desiderantibus haud deerit.

D. CAROL. WILH. CHRIST. MVLLER publice historiam medicinae litterariam, *privatim* h. VIII-IX. Physicam dogmatico - experimentalem, Becmanno praeunte, h. IX-X. historiam naturalem ex breuiario Cl. Ebert, h. X-XI. mineralogiam, duce Cronstedtio, *privatissime* chirurgiam medicam, docebit.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, Log. Met. & Math. P. P. O. Biblioth. acad. Praef. *Mathesin puram* h. X., *applicatam* h. II. ad ductum b. WOLFFII, *metaphysicam* h. IV., *logicam* h. V. ad filium compendiorum a se editorum docebit. Bibliothecam publicam stato tempore recludet.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLTZ LL. Or. & Gr. P. P. O. hor. X - XI. *Epistolas Pauli* ad Galat. Ephes. Philipp. Coloss. Thessal. Timoth. Tit. & Philemonem interpretabitur, recensionem textus Griesbachianam sequuturus. Hor. I-II. *fundamentale graecum* aperiet *privatissime* & *fundamentale hebraicum*, quod elapso semestri habuit, iterum desiderantibus offert, —, *Linguam anglicam* addiscere cupientibus non deerit.

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Prof. Poef. & Eloqu. *Publice* Hor. II-III. *Ciceronis* epistolas ad diuersos illustrabit. Hor. III - IV. *Encyclopaediam scientiarum omnium* e libro suo: *Abriss der Gelehrsamkeit* tradet. Hor. IV - V. *Antiquitates*

tates Romanas duce *Rullmanno* enarrabit; ad elementa *Poeticæ & Rhetoricæ* docenda paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. Hora VIII-IX. *Historiam litterariam* ad Comp. *Baumannianum*; hora XI-XII. *Historiam Vniuersalem* ad Comp. suum; hora III-IV. *Historiam statuum Europæ* ad Comp. proprium docebit; ad *Praelectiones* in *Historiam Imperii R. G. Procerum*, in *Heraldicam*, atque in *Philosophiam moralem* paratus.

LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN explicabit hor. IX-X. *Technologiam* duce *BECKMANNO*; hor. X-XI. *Ius naturæ & gentium* secundum propria principia; hor. III-IV. *notitiam Europæ politicam, die Statistik*, ad ductum libelli *BÜSCHINGIANI: Vorbereitung zur gründlichen und nützlichen Kenntniß der geographischen Beschaffenheit und Staatsverfassung der Europæischen Reiche und Republicken &c.* hor. IV-V. *oconomiam politicam* ad systema proprium: *die Grundfeste der Staaten, oder politische Oeconomie*; nec iis operam suam denegabit; qui hor. V-VI. *regulas Calculi Cameralis* duce *KLIPSTEINIO in Grundsätzen der Wissenschaft Rechnungen vollkommen einzurichten* discere cupiunt.

D. IO. WILH. BAYMER, histor. nat. & chemiæ Prof. ord. hora IX. antemerid. fundamenta sua chemiæ theoretico-practiciæ explicabit. Experimentis chemicis Saturni dies dicatus esto. Hora Dn. Commilitonibus commoda, *Geographiam & Hydrographiam subterraneas*, ad compendium suum de iis editum, proponet.

GEORG. FRID. WERNER h. VII-VIII. eos instituet, qui ad geometriam practicam, futuro semestri docendam, praeparari cupiunt; offert quoque praelectiones in mathesin puram secundum *Karsten*, in rem calculatorem cameralem *Klipsteinio* duce, in architecturam civilem oeconomicam e propriis dictatis & in militarem secundum *Pirscher*, in fortificationem campestram, geometriam subterraneam & alia.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IOANNES CHRISTIANVS DIETZ, SS. Theolog. Professor publ. extraord. Collegium exegeticum in diuini *Pauli* epistolam ad *Titum*, hora matutina X. & cursorium in *Psalms* *Dauidis* alternis vicibus aperiet. In acta legatorum *Christi*, more consueto, commentabitur.

D. ANDREAS IOS. SCHNAVBERT *Iur. P. P. Extraord.* hora II. *ius publicum germanicum* duce *PÜTTERO*, hora III. *ius priuatum germanicum* secundum elementa *SELCHOVIANA*, hora V. *ius feudale* filum praebente *G. L. BOEHMERO* sexies per hebdomadam docebit. Hora VI. *ius publicum commune S. R. I. territoriorum* vulgo *das deutsche Territorial-Staatsrecht* propriis vsurus dictatis diebus *Lunæ, Martis, Iouis & Veneris* exponet, ad alia quoque paratus.

D. IOANN. WILH. CHRISTIAN. BAVMER, Med. Prof. Extraord. Hor. I-II. *Ossium* demonstrationes, duce *b. m. Scharfshmidtio*, instituet, & his finitis, ossa e fedè sua dimota atque fracta, in eandem iterum compellere atque coaptare, docebit. Hor. II-III. *Chirurgiam*, praecunte *Cl. Callissen*, in Institutionibus chirurgiæ hodiernæ, docebit. Hor. III-IV. *Artem obstetricandi*, ad ductum *b. m. Roderer*, in *Elementis artis obstetricandi*, proponet. Hor. IV-V. diebus *Grii & Sni* modum fascias chirurgicas applicandi demonstrabit, & ad alia, quae desiderabuntur, paratus erit.

Præter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de *luculenta equitandi, pugnandi gladio salrandique palæstra, Gallicæ item & Italiciæ* linguæ scholis, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

Gissæ, Ex Officina Brauniana.